

Die 12 maii

**BEATI ALVARI DEL PORTILLO Y DIEZ DE SOLLANO, EPISCOPI**

**Ant. ad introitum**

Cf. Lc 12, 42

Iste est fidélis et prudens dispensátor, quem constitúit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram (T.P. allelúia).

**Collecta**

Deus Pater misericordiárum, qui beátum episcopum Alvárum spíritu veritátis et dilectiónis implevísti, præsta, quæsumus, ut, eius vestígia sectántes, salutíferæ Ecclésiæ missióni nos humíliter impendámus. Per Dóminum.

**LECTIO PRIOR**

*Sicut visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas.*

Lectio libri Ezechiélis prophétæ

34, 11-16

Hæc dicit Dóminus:

« Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum, sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calígini. Et edúcam eas de pópulis et congregábo eas de terris et indúcam eas in terram suam et pascam eas in móntibus Israel, in rivis et in cunctis sédibus terræ. In páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israel erunt páscua eárum; ibi requiéscent in herbis viréntibus et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel.

Ego pascam oves meas et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod perierat, requíram et, quod eiéctum erat, redúcam et, quod confráctum fúerat, alligábo et, quod infírmum erat, consolidábo et, quod pingue et forte, custódiam et pascam illas in iudicio ».

Verbum Dómini.

**PSALMUS RESPONSORIUS**

Ps 22, 1b-3. 5. 6 (R.: 1 b)

**R. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.**

Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit:

in páscuis viréntibus me collocávit,

super aquas quiétis edúxit me,

ánimam meam refécit.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ propter nomen suum.

**R. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.**

Parásti in conspéctu meo mensam

advérsus eos qui tríbulant me;

impinguásti in óleo caput meum,

et calix meus redúndat.

**R. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.**

Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me

óm nibus diébus vitæ meæ,

et inhabitábo in domo Dómini

in longitúdinem diérum.

**R. Dóminus pascit me, et nihil mihi déerit.**

## LECTIO SECUNDA

*Factus sum minister Ecclesiae secundum dispensationem Dei.*

Lectio Epistolae beati Pauli apostoli ad Colossenses

1, 24-29

Fratres:

Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo, ea quae desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei; mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae mysteriorum huius in gentibus, quod est Christus in vobis, spes gloriae; quem nos annuntiamus, commonentes omnem hominem et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo; ad quod et laboro certando secundum operationem eius, quae operatur in me in virtute.

Verbum Domini.

**ALLELUIA**

Io 10, 14

**R/.** Alleluia.

Ego sum pastor bonus, dicit Dominus,  
et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae.

**R/.** Alleluia.

## EVANGELIUM

### *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

10, 11-16

In illo témpore:

Dixit Iesus: « Ego sum pastor bonus; bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus; mercennárius et, qui non est pastor, cuius non sunt oves própriae, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit — et lupus rapit eas et dispérgit — quia mercennárius est et non pértinet ad eum de óvibus.

« Ego sum pastor bonus et cognóscó meas, et cognóscunt me meæ, sicut cognóscit me Pater, et ego cognóscó Patrem; et ánimam meam pono pro óvibus.

« Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli, et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient et fient unus grex, unus pastor ».

Verbum Dómini.

### **Super oblata**

Hóstias, quæsumus, Dómine, quas in festivitáte beáti Alvári sacris altáribus exhibémus, propítius réspice, ut, nobis indulgéntiam largiéndo, tuo nómini dent honórem. Per Christum Dóminum nostrum.

### **Ant. ad communionem**

Cf. Io 10, 11

Pastor bonus ánimam suam pósuit pro óvibus suis. (T.P. allelúia).

### **Post communionem**

Refécti sacris mystériis, Dómine, humíliter deprecámur, ut, beáti Alvári exémplo, studeámus confitéri quod crédidit, et ópere exercére quod dócuit. Per Christum Dóminum nostrum.

Oratio Collecta est propria (cfr. Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, Prot. N. 118/14/L, diei 25 mensis martii 2014). Cetera sumuntur de Comuni pastorum.